

(1260) 1261, gener, 16

*Bernat de Forques, de Vilamalla, es fa home propi del seu germà Pere de Forques, amb reserva de poder-se redimir per 5 sous.*

ASD núm. 185, perg. orig., 115 x 175 mm.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus de Forches de Uilalmala, bono animo ac pontanea uoluntate gratis et ex certa sciencia, eligo uos Petrum de Forches fratrem meum in dominum meum naturalem cum omnibus meis rebus, et promitto uobis esse bonus fidelis et legalis in omnibus et per omnia, et si forte uoluero exire de dominio uestro, quod possim exire inde cum .V. solidis maig., quos tradam uobis racione predicti dominii de auere meo quandocumque uoluero et remaneam franchum a predicto dominio uestro, et uos aliquo modo non possitis mihi aliud petere nisi predictos .v. solidos maig. racione mei uel racione mearum <rerum> mobilium uel immobilium, et dono uobis pro intrata unum aureum. Et ego predictus Petrus de Forches promito tibi Bernarda fratri meo homini meo esse legalis et promito te deffendere in omnibus et per omnia cum omnibus expensis meis tamquam meam propriam personam et sicut homo debet defendere hominem suum, dum uolueris remanere sub meo dominio et promito te et res tuas deffendere et petere in mare et in terra, in iudicio uel extra iudicio ad bonum intellectum secundum posse meum. Et recognosco tibi quod si tu uolueris exire de predicto dominio meo, quod non tenearis mihi dare nisi predictos .V. solidos malg. ratione intestacionis uel alio aliquo modo; si forte obierim non tenearis mihi dare aliud, unde recognosco a te receperisse racione predicti dominii unum aureum et in presenti recipio a te hominaticum.

Actum est hoc .XVII. kalendas februarii anno Domini .MCCLX.

Sig+num Bernardi de Forches, sig+num Petri de Forches qui hoc pariter firmamus et laudamus et a testibus firmarique rogamus, Sig+num Arnalli Suynerii. Sig+num Guilielmi Puials, sig+num Arnalli Cositi, huius rei testium.

Sig+num Raimundi Todoni, ebdomadarii et scriptoris de Basilia, qui hoc scripsit die et anno quo supra.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 388